ACCLAMATIO VOTIVA,

Qva

Diem fauſtum & natalem

VIRI

EXCELLENTISSIMI, PRÆCLARISSIMI, DOCTISSIMIQVE

DOMINI

M. JOHANNIS SARTORII,

Rectoris de Gymnaſio Elbingenſi præclariſſime meriti,

ANNO M DCC. XII. CAL. FEBRUARII

feliciter recurrentem,

Lætabundus veneratur Auditor, ad omnia obſeqviorum genera, paratiſſimus

CHRISTOPHORUS PORSCHIUS.

GAudia lætantem me cogunt fundere verſus,
Dum tua SARTORI ſurgunt genitalia ſacra,
Inſtaurare eadem tenuis mea Muſa parata eſt.
Et qvi non poſſem Rectoris dicere laudes?
Qvem pariter laudant Charites, ac ipſus Apollo.
O jucunda dies, albo ſignanda lapillo!
Candida lux, qva te Lucina vocavit in auras,
Hac me votivas tabulas ſuſpendere, fas eſt,
Nunc animi ingrati maculam delere juvabit,
Virtutesqve tuas florenti inſcribere Cedro
Eſt tua SARTORI Pietas venerande probanda,
Qvâ, tu mente petis purâ veſtigia cœli,
Hinc tibi non mundus, ſed ſunt cœleſtia curæ,
Sanctam cum ducis mortali in corpore vitam.
Inſuper inculpata Fides in pectore fixa,
Blandis qva Chriſtum Dominum Tu ſuſcipis ulnis,
Et qva tu Satanam ſubigis Stygiasqve paludes.
Qvin cum virtutum Conſtantia ſola coronet,
Herculeos felix ſuperas virtute labores,
Mens invicta manet tibi, mens eſt neſcia flecti.
Nec reticenda mihi tua nunc Candoris imago
Tempore qvæ nullo potis eſt liveſcere fuco,
Qvæ ſimilis puris cryſtallis intima pandit.
Aſt ego qvid breviter virtutes explico tantas?
Qvæ Fabium laſſare valent, vel qvasq; volumen
Grandius ut fas eſt nunqvam comprendere poſſit.
Vel qvid non doctos auſus Tibi ſcribere verſus?
Cui mentem Phœbus, proles Latonia, finxit,
Laudet Virgilius, laudet te Plinius alter,
Omnia qvi ſuperant Romanæ ſidera lingvæ.
Sed mihi qvi vitio vertat nullum fore credo,
Si tua SARTORI ſacris genitalia votis
Obſeqviisqve piis te condecorare ſtudebo.
Hinc, Vir Excellens audacibus annue cæptis,
Auribus & placidis fervens hoc accipe votum.
Vivas incolumis magnum decus urbis & orbis,
Triſtia te fugiant: impleto plurima luſtra.
Muſis a noſtris magnus qvo poſſis Apollo,
Laudibus æternis dignus cumularier, opto.

ELBINGÆ,
Typis SAMUELIS PREUS.

Pol. 8. III 740/up

Biblioteka Uniwersytecka Starodruki w Toruniu